

& inpacati · quia contrariis factis
cum dī sermone confligunt · & blas
phemi · quia per eorum perditos actus
nomini xp̄iano derogatur · & profani ·
quia ab illo dī scūario sp̄italiter interi
ore seclusi sunt · & sacrilegi · quia
in seipsis templum dī male uiuendo
corrumpunt · & antistites diaboli ·
quia fraudi & auaritiae quae est idola
tria seruiunt · Tales autem non nul
los · immo plurimos · & apostolus
paulus · & episcopus cyprianus · etiā
intus esse testantur · Cur ergo isti
baptizant · Cur etiam quidam qui
saeculo uerbis & non factis renunti
ant · ab huiusmodi moribus non
mutati baptizantur · & quando
mutantur non rebaptizantur ·
Iam uero quod indignatur & dicit ·
Ecce ad qualia cogitur ecclesia con
sentire · & sine baptismo & uenia delic
torum communicare compellitur ·
Nisi essent ceteri ep̄i qui alios ad ista com
pellerent · non utique dicerent ·
Unde ostenditur · illos etiam tunc ueri
ora sensisse qui non recesserunt a pristi
na consuetudine · quae postea concilii
uniuersitate firmata est · Quid est au
tem quod adiungit & dicit · Quam rem
fr̄s fugere acuitare debemus · & a tanto
scelere nos separare · Si enim hoc ita
dicit · ut ista non faciat nec approbet ·
alia res est · Si autem ut diuersa senti
entes damnet & segreget · prior resistit
uerbis cypriani quibus ait · Neminem
iudicantes · aut a iure communionis
aliquem si diuersum senserit amouen
tes · Ad ea quae ·

II Felix Amigirpa dixit · Haec dicimus
si non esset baptisma unum & uerum
nisi in ecclesia · Non utiq · esset in eis
qui ab unitate discedunt · Est autem
in eis · Nam non id recipiunt redeuntes ·
Non ob aliud · nisi quia non amiserant
recedentes · Quod autem ait · Nam
quae foris exercentur · nullum habent
salutis effectum · Consentio & omnino
uerum esse credo · Aliud est enim non
ibi esse · aliud nullum habere salutis
effectum · Uenientibus enim ad catho
licam pacem prodesse incipiunt quae
foris inerant sed non proderant ·

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BSB Bayerische StaatsBibliothek
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
UNESCO Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bayerische Staatsbibliothek
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bsb_clm21218/0144